

sitas religionum, regionumque variat. Spectat enim argumentum causas civiles Clericorum, locorumque piorum.

43 Recentioribus regionum moribus Judex ecclesiasticus in reliquis causis civilibus laicorum tam incompetentem censetur, ut nec ejus jurisdictio partium consensu prorrogari possit in eas. Quoniam jurisditiones, quæ vel patrimoniales sunt, vel Regiæ, & utraque promanentes à Principe, non pendent ex voluntate subditorum.

44 Inde illud principium juris novi, quod laicus ex contractu, si juramentum intervenerit, coram Judice ecclesiastico posset conveniri, passim exaruit. In Germania Recessus Imperii de ann. 1654. (a) judiciales relaxationes, & absolutiones juramentorum, ad effectus civilis obligationis, sæcularibus tribunalibus vindicat.

45 Hoc exemplo hodie & exaruit titulus protectionis, quo ex jure novarum Decretalium causæ civiles, & profanæ viduarum, pupillorum, & miserabilium personarum ad forum ecclesiasticum reducebantur. c. 15. de For. Compet.

46 Protectio miserabilium personarum procul dubio est ex officio utriusque potestatis. Forum civile elucet per auctoritatem jurisditionis. Edixit & olim Constantinus Imp. *Quod si pupilli vel viduæ alique fortunæ injuria miserabiles judicium nostræ Serenitatis oraverint, præsertim cum alicujus potentiam perhorrescunt, cogantur, eorum adversarii examini nostro sui copiam facere.* Refert. L. un. Cod. quand. Imper. int. pupill. vel vid.

47 Patrocinium Ecclesiæ ex officio charitatis per integritatem defensionis causis miserabilium personarum invigilat. In Concilio Mediolanensi III. (b) observat S. Carolus: *Pupillorum, viduarum, & egentium personarum cura Episcopo, communi omnium Parenti, à SS. Canonum legibus potissimum commendata, & commissa, negligi non debet, ne, si lædantur, vociferentur ad Dominum, qui exaudiet clamorem eorum. Quamobrem pro sui muneris officio Episcopus aliquem constituat Ecclesiasticum, vel alium pium hominem, christianæ charitatis operibus, atque officiis deditum, qui viscera misericordiæ indutus, id generis hominum patrocinium in omni causa suscipiat. Quod si aliqui jam huic pio operi præfecti sint, id agat Episcopus, ut ii munus sibi creditum exequantur quam diligentissime.*

48 Jam quondam sanxit Justinianus, ut, si negligentes fuerint judices in administranda justitia, adiretur leci Episcopus,

(a) Recess. Imp. §. 164. (b) Conc. Mediol. III. c. 18.

pus, judicem ad reddendam justitiam auctoritate sui eloquii, & officii permoturus, Jure Decretalium committitur Judici ecclesiastico, ut Judicis sæcularis defectum suppleat. Hinc inter Interpretes novi juris invaluit sententia, quod propter negligentiam Judicis sæcularis transferatur jurisdictio ad Judicem ecclesiasticum. c. 11. de For. Compet. & ibi Gloss. Hodie in Gallia fere inversa est alea, quod Magistratus suppleat defectum Judicis ecclesiastici per appellationem ab abusu, in casu denegatæ justitiæ.

49 Ab eo genere causarum distinguuntur causæ mere ecclesiasticæ, quæ argumentis juris novi, & spirituales vocantur, quia ad titulum sacri ministerii referuntur. Sunt ex earum numero præcipue causæ beneficiales, quatum titulus ab electione, institutione, collationeque canonica dependet. c. 1. de Reg. Jur. in 6.

50 Jure Decretalium hæ causæ tum in petitorio, tum in possessorio tribunali ecclesiastico, missis Judicibus civilibus, reservantur. Spectantur enim ut connexæ, ut utrumque oporteat ab eodem judice, eademque sententia, si ambæ liquidæ sint, decidi. c. 6. de Caus. Possess. & Propr.

51 Sæpe tamen hæ lites in turbas publicas degenerarunt, quia nonnumquam contententes, stipati amicorum, clientumque viribus, ad arma convolarunt, ut alter alterum ex possessione beneficii vi dejiceret, vel repelleret. Hac occasione accurrerunt Judices Regii, ut, suppressis privatis, Possessorem auctoritate publica tuerentur.

52 Inter hæc sæcula itaque Judices civiles in eo genere nihil sibi arrogarunt, nisi decretum momentanæ possessionis, seu recedentiæ, aut sequestri, ut seditiones privatas rescarent, rejecta in forum ecclesiasticum legitima cognitione possessorii, petitoriique.

53 Successive invaluit consuetudo in Gallia, quod possessorium retinendæ possessionis super quibuscunque Ecclesiis, & beneficiis ecclesiasticis foro sæculari relinqueretur. Martinus V. usum hujus Juris Regi Carolo VII. indulxit, eo moderamine, ut per hoc nullum jus, seu jurisdictionem in præmissis cognoscendis de novo Rex sibi arrogaret, sed antiquum, si quod ex veteri immemorialique consuetudine habet, tantummodo conservaret.

54 Hujus Bullæ exemplo, quæ data est ad Regem Galliæ, & alii Principes consuetudinem ambierunt, retinendæ, recuperandæque possessionis in causis beneficialibus, ecclesiasticisve cognitionem civili tribunali arrogandi, quia hæc interdicta non tam jus, quam factum spectant. per Inst. de Interd.

Cap. 4.
De Petiti. &
posses. in
caus. eccl.

Ho-

55 Hodie & in eo genere vulgata est divisio possessorii in summarium, summarissimumque, & ordinarium, seu plenum. Illud, quod & recredentia dicitur, instar provisionis momentaneam fere possessionem spectat, interim scilicet, quousque de causa plenius cognosci queat. Recredentia enim est interlocutoria sententia iudicis, qua, processu durante, in materia novitatis, manutentionis, aliisque possessoriiis decernit super usu fructuum, aut rei litigiosæ, eo effectu, ut ejus fidei interim per modum sequestri credatur, & parti adversæ restituatur, si huic plenum possessorium fuerit adjudicatum. Quippe à Recredentiario inde exigitur sufficiens cautio de reddendis, restituendisque illis fructibus, quos Victor pleni possessorii lucrari, & habere potuisset, si actualiter possedisset. *Addita, inquit, legitima sufficienteque cautione de restituendis, reddendisque iis fructibus, quos lucrari pars adversa, & obtinere posset, si actu possessione foret gavisus.*

56 In materia beneficii in ordine ad recredentiam, qui titulum habet, & exhibet, præfertur illi, qui titulum non habet. Nomine videlicet tituli veniunt omnia acta, quæ tribuere queunt jus ad beneficium; ut sunt literæ præsentationis, collationis, institutionis, literæ testimoniales approbationis super sufficientia doctrinæ, & morum, vulgo *visa*, acta captæ possessionis &c. Iudices enim in decernenda recredentia duo maxime attendere debent, scilicet titulos partium, & earum capacitatem, quia ei recredentia adjudicanda est, qui habet apparentiorem titulum, si capax sit, & idoneus. Hoc nomine veniunt acta, quæ probant capacitatem personæ, ut sunt extractum ex registro baptismali, quo legitimitas, ætas, locus originis, baptismique probentur, literæ Tonsuræ, Ordinis, gradus academici, aut similia pro conditione, diversitateque beneficii.

57 In Gallia aliquando utriusque possessorii distinctus processus, divisaque instantia fuit, ita, ut prolata sententia recredentiæ de novo inchoaretur processus pleni Possessorii. Recredentiores tamen ordinationes Regiæ præcipiunt, ambo jungi, & instrui per unum processum, quia expedit lites super possessorio abbreviari. Superest tamen, quod aliquando separatim duas ferri sententias, unam recredentiæ, alteram pleni possessorii oporteat; utpote si prior causa posteriore liquidior sit.

58 In decernenda recredentia Judex tantum summarie se informare solet, atque ex actis, sive hinc inde reproductis instrumentis dispicere, quis apparentiorem titulum habere videatur; & cui omnibus expensis possessio pro interim, quousque

que plene causa fuerit discussa, & plenus de jure contententium constiterit, sit committenda. Monet Rebuffus (a), quod nunquam recredentiæ sententia proferri debeat, quando plenum possessorium potest expediri sine alia probatione, utpote quando non sunt alia facta allegata, sed ex ipsis titulis potest ipsum beneficium dijudicari.

59 Adjudicata recredentia, si nimirum causæ status eam requirere videatur, ulterius causa instruitur, ut plenarie Iudices de titulis, & juribus ipsarum partium cognoscant, atque discutiant; ut appareat, quis contententium canonicam possessionem habeat, atque in ea manutenendus sit; & cui per definitivam sententiam plenum possessorium adjudicari oporteat. Hoc gradu non amplius merum, & nudum factum, sed ipsum jus totum, & integrum Regii Iudices discutunt, ut ex jure dijudicent, cui possessio beneficii, quæ sine canonica instructione, sive canonico titulo haberi nequit, competat?

60 Inde dubitari nequit, quin revera hodie Iudices Regii in iudicio possessorio ipsum petitorio, sive jus ipsum tractent, quamvis per sententiam duntaxat possessorum expriment, quia petitorium jam exhaustum apparet. Vetant inde regiæ ordinationes, petitorium, & possessorium simul intentari. Cum enim in possessorio tituli, & jura litigantium ad amussim discutiantur, inconveniens visum est, si eodem tempore in petitorio coram Iudice ecclesiastico disquirentur.

61 Vetat & Rex, intentato possessorio intentari petitorium, quamdiu materia possessorii per sententiam definitivam plene terminata non fuerit, ipsique sententiæ totaliter satisfactum, tam quoad principale, quam quoad fructus, damna, & interesse, si hæc adjudicata sint, nisi per illum, in cujus favorem lata sententia fuit, feret, quod executio non haberetur. Quinimo refert Fevretius (b), à suprema Galliæ Curia judicatam fuisse abusivam citationem in petitorio post absolutum, & adjudicatum plenum possessorium, quasi non adeo justum, & ordinatum foret, rursus titulos examinare coram Iudice ecclesiastico, qui ad plenum in regio Senatu discussi fuerunt. Ast ipse Fevretius fateri debet, & juxta jus commune, & ipsas regiæ ordinationes petitorium posse coram Iudice ecclesiastico, evacuato possessorio, intentari. Quod & ipsa Concordata Brabantæ expresse permittunt (c), optantque, à Principe tempus terminandarum litium super

(a) Rebuff. tract. de sent. execut. art. 1. &c. (b) Fevret. de Abus. l. 4. c. 11.
(c) Concord. Brabant. tit. 4. art. 1.

possessorio statui, ut *questio petitoria citius institui & terminari valeat.*

62 Aliquando in Gallia cognitio de possessoriiis beneficialibus Judicibus Regiis non privative, sed cumulative cum ecclesiasticis competeat. Recentius tamen hic usus desiit, ut possessorium litium harum soli Judices Regii sibi vindicent.

63 Nec jam in cognitione adipiscendæ, recuperandæque possessionis subsunt Regia tribunalia. Nam mox, ut collatio beneficii habetur, si possessio realis obtineri nequeat, possessio, quam juris vocant, capitur coram Notario, quæ sufficere creditur ad fundandum possessorium retinendæ possessionis.

64 Ut enim *questio* in materia ecclesiastica ad tribunal Regium deseratur, peti solet *manutenentia*, quæ est quædam provisio, seu verius quoddam beneficium Principis, quo pacificum possessorem, si metuit ex ea ejici, vel in ea turbari, in eadem sua quietâ possessione per auctoritatem civilem tuetur, donec per justitiam alius potius jus habens, manutento per ordinem juris ejecto, appareat. Duo ergo pro obtinendis literis *manutenentiæ* requiruntur. Primo possessio, de qua saltem summarie apparere debet: turbatio facti, quæ generaliter sit per quemcunque actum, quo quis impeditur, libere, & quiete res suas possidere. Oportet enim modum, & qualitatem turbationis specificè exprimi, nisi ex actis appareat. Successit, quod & qualiscunque possessio, etiam juris, nec non qualiscunque turbatio facile admitteretur, ut literas *manutenentiæ* obtinere liceret; hinc evenit, quod omnes passim causæ ecclesiasticæ titulo *manutenentiæ*, sive possessorii ad civilia tribunalia, missis instantiis Judicum ecclesiasticorum, transierint.

65 Soli quidem Judices Regii in Belgio, & Gallia de possessorio in causa ecclesiastica judicant; non tamen soli Judices supremi, sed & subalterni, utpote à quibus immediate ad supremam Principis Curiam appellatur. Ita alicubi fit, quod à Conciliis Provincialibus ad Parlamenta Regia à sententia super possessorio in materia ecclesiastica quotidie appelletur; eaque appellatione pendente petitorium suspendatur; aut & ipso processu absorbeatur.

66 In Imperio Germaniæ ex jure veteris investituræ juxta pacta Calixti II. cum Henrico V. Pontifex huic Imperatori concedit, ut *si quæ inter partes discordia emergerit, Metropolitanis, & Provincialium Episcoporum consilio, & judicio, saniori parti consensum, vel auxilium præbeat ad titulum possessionemque feudi, quod dignitati ecclesiasticæ cohæret, de-*

finiendam, tuendamque, exceptis omnibus, quæ ad Romanam Ecclesiam pertinere noscuntur.

67 In Gallia, & alibi inde Ecclesiastici ipsi amant, & optant passim causas ecclesiasticas, beneficialesque apud Regia tribunalia potius, quam coram Judicibus ecclesiasticis examinari, & agitari, tum, quia exemplis novi juris in stylium Curiarum ecclesiasticarum irrepsit per dilationes, & appellationes morosus processus, ut litigantibus citius pene expectandus sit finis vitæ, quam litis. Ait S. Bernardus (a): *Is modus, qui frequentatur, execrabilis plane, & qui, non dico Ecclesiam, sed nec forum deceret. Miror namque, quemadmodum aures tuæ religiosæ audire sustinent disputationes Advocatorum, & pugnas verborum, quæ magis ad subversionem, quam ad inventionem proficiunt veritatis. — Nihil ita absque labore manifestam facit veritatem, ut brevis, & pura narratio.*

68 Interea reliquum est Episcopis, ut, quantum possibile est, lites, & controversias more antiquo ad mentem Apostoli, & veteris disciplinæ, præsertim inter Clericos de beneficiis, aliisque causis ecclesiasticis componant, ea integritate, & æquitate, ut dissidentes libenter eorum arbitrio quæstiones suas decidendas subjiciant exempla S. Caroli (b), de quo refert Scriptor: *De litibus est memorabile, Notariis, scribisque fori Caroli tempore accidisse, ut peritiam eorum litium, quæ de beneficiis tam frequenter alibi inter Clericos esse solent, pene dediscerent. Nulla enim eo vivente lis erat hujusmodi. Vocatus quisque, nihil agitans, ne cogitans fere quidem, beneficium pro merito vitæ accipiebat, sine controversia retinebat, sine auctoritate sui Antistitis non dimittibat, aut permutabat.*

69 In Concilio Mediolanensi VI. monet S. Carolus & reliquos Episcopos, ut, *antequam litis, reive alicujus judicium constituatur, studeant omni æquitatis officio, paternoque consilio lites dirimere, controversias sedare, & transactionibus litigantes reconciliare &c.: sin autem id assequi non poterunt, id saltem curent, ut lites brevius, quam in foro laicali moris est, definiatur.*

*70 In morali doctrina quid expressius superest, quam lites esse à statu Cleri alienas? Juxta S. Ignatii M. monitum (c): *Toti namque Dei estis: cum enim nulla lite implicamini, quæ vos disruciare possit, profecto secundum Deum*
Ep. Van-Espen T. II. Nn vi

(a) S. Bern. de Consid. lib. I. c. 10. (b) In vit. S. Carol. lib. 7. c. 4.
(c) S. Ignat. M. ep. ad Eph.

vivitis. Inquit S. Chrysostomus (a): *Cessent jurgia, lites, rixæ; procul enim ista esse debent, qui Dei pacis servus est. Servum, inquit Apostolus, Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes. Ex sententia S. Ambrosii (b): Decet benignum esse justum, non alieni cupidum, imo de suo jure cedentem potius aliqua, si fuerit lacessitus, quam aliena jura pulsantem, fugitantem litium, abhorrentem à jurgiis, redimentem concordiam, & tranquillitatis gratiam, si quidem de suo jure visum bonum aliquid relaxare, non solum liberalitatis, sed plerumque etiam commoditatis est— dispendio litis carere, non mediocre lucrum est. En S. Augustini rationes! (c) Jam quidem juxta S. Apostolum omnino delictum est, quod judicia haberi. Et ne quisquam hoc ita excusaret, ut diceret, justum se habere negotium, sed iniquitatem se pati, quam vellet à se Judicum sententia removeri, continuo talibus cogitationibus, vel excusationibus occurrit, atque dicit: quare non magis iniquitatem patimini? Quare non potius fraudamini? Concilii Melodunensis (d) de ann. 1579. Decreto quid præstantius? Caveant Sacerdotes à litibus, & processibus; servos Dei non oportet litigare, multo magis à forensi Procuratoris, aut Causidici munere, nisi quantum per veteres Canones licet, abstinere debent. Quippe ut Concilium Turonense (e) de ann. 1583. observat, valde indecorum est, inter eos esse jurgia, & lites, qui nihil nisi charitatem, & unitatem spirare, aut docere debent. An alia causa est Monachorum pro bono Communitatis? Inquit S. Bernardus (f): Hoc autem dicimus, tutius esse omni Christiano, & Monacho possidere quippiam minus in pace, quam cum lite amplius. Sic quippe caniti: melius est modicum justo super divitias peccatorum multas. Quid, quod de altari contenditur, & hoc adversus filios Levi, id est, Clericos? Clericorum est, altari deservire, & de altari vivere: nobis nostra professio, & antiquorum Monachorum exempla victum ex propriis præscribunt laboribus, & non ex Sanctuario Dei.*

TIT.

- (a) S. Chrys. hom. 6. in 2. ad Tim. c. 2. (b) S. Ambr. lib. 2. de Offi. c. 21.
 (c) S. Aug. Enchr. c. 18. (d) Conc. Melod. tit. 17.
 (e) Conc. Turon. tit. 19. de Jurisdic. & visit.
 (f) S. Bern. ad Odon. Abb. ep. 297. edit. Mabill.

TIT. III.

De Jurisdictione Criminali.

CAPUT I.

De Delictis Clericorum.

Eorum justitiæ in causa criminali est civilis imperii. Ait S. Apostolus (a): *Non enim sine causa portat gladium; Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit.* Sensus est, gladium portat, sive Potestas, sive Princeps, tanquam Dei minister, à quo gladium accipit, ut sit vindex in iram, id est, ut ejus vice, ac nomine justitiam exerceat vindicativam in puniendis iis, qui malum agunt, vel pacem publicam turbantes, vel honestatem vitæ communis lædentes. Ad hoc enim instituta est potestas sæcularis; ut & publicam pacem (securitatem, libertatemque) conservet, & vitæ communis, utpote Societatis humanæ, honestatem tueatur. Ita Estius in locum S. Apostoli.

2 Quemadmodum Principes christiani Patribus & Dominis domesticam familiæ correctionem, utpote privatam, & leviolem reliquerint, sic & eorum delictorum, quæ Ecclesiam, disciplinamque Cleri spectant, correctio ad sacram potestatem remissa est. En legem Gratiani & Valentiniani Imp. *Ut, si qua sunt ex quibusdam dissensionibus, levibusque delictis ad religionis observantiam pertinentia, locis suis, & à suæ diœceseos Synodis audiantur, exceptis, quæ actio criminalis ab ordinariis, extraordinariisque civilibus, utpote publicis Judicibus, aut illustribus potestatibus audientia (audienda legunt) constituit.* Ecce Synodis ecclesiasticis reservatur correctio delictorum, quæ contra disciplinam canonicam, aut orthodoxam religionem committuntur. L. 23. C. Th. de Episc. & Cler.

3 Provocat inde ad hanc legem S. Ambrosius (b): *Nec quisquam, inquit, contumacem judicare me debet, cum hoc asseram, quod augustæ memoriæ Pater tuus non solum sermone respondit, sed etiam legibus suis sanxit, in causa fidei, aut ecclesiastici alicujus ordinis eum judicare debere, qui nec munere impar sit, nec jure dissimilis; hæc enim verba rescripti sunt, hoc est, Sacerdotes de Sacerdotibus voluit ju-*

Nn 2 di-

- (a) Rom. 13. (b) S. Ambr. ep. 13.